UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XIV. De beatißima Trinitate, ejúsque proprietatibus; ex Richardo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

Negas Divinitatem DEVM esse? Non, sed non alia, quàm quæ ipse est; aut si tu aliam invenisti, adjuvet me Trinitas DEVS, adversus illam tota me contumacia erigo. Quaternitas orbem disterminat, non signat Deitatem. DEVS Trinitas est, DEVS trium singularum personarum. Si quartam Divinitatem adjicere placet, interim ego hanc quæ Deus non est, perfuasi mihi minimè adorandam. Puto, quòd & tu. Nempe, Dominum DEVM tuum adorabis, & illi soli servies. Gloriosa verò Divinitas, quæ sibi honorem non audeat arrogare divinum. At meliùs quartum hoc omnino respuimus, quàm sine honore recipimus. Multa dicuntur esse in DEO, & quidem sanè Catholicèque, sed multa unum. Alioquin si diversa putemus, non quaternitatem haberis, sed centenitatem: Verbi causa: Dicimus magnum, bonum, justum, & innumerata alia; sed nisi omnia unum in DEO & cum DEO consideres, habebis multiplicem Deum.

Mihi verò non deest, quod cogitem melius ejusmodi Deo tuo. Quæris quid? Mera simplicitas. Vero judicio natura simplex multiplici antefertur, Scio quod ad hæc respondere solent. Non multa, inquiunt, sed unam tantùm Divinitatem, quæ omnia illa sunt; Deo ut sit conferre asserimus. Asseritu ergo etsi non multiplicem, duplicem Deum, & non ad merum simplex pervenisti, neque ad id quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex quod vel uni fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo, vel uni cognita viro. Securus loquor: ne is quidem, qui vel duplex est, erit meus; habeo enim meliorem. Esto quòd hunc numeroso & multiplici anteponam, sed planè præ simplici sperno.

Meus DEVS ipse Catholicè est. Tam non habet hoc & illud, quàm non hæc & illa. Est qui est, non quæ est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se, nihil ex se deponens in eis, non habens quod ad numerum dividat, non quæ colligat ad unum. Unum quippe est, sed non unitum. Non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis substat, ut omne quod factum est: sed neq; formæ, ut ipsi visum est. Magna laus videlicet Deo, ut se ab informitate vindicet, forma una esse contentum. Hoc est dicere, cætera pluribus, Deum non nisi uni debere quod est. Quid? Cujus beneficio sunt quæ sunt, ipse pro suo esse alterius beneficio inclinabit? Laus ista, ut vulgò dicitur, blasphemiam valet. Annon pluris est, nullo indigere quàm uno? Habe reverentiam DEO, ut quod pluris est, illi tribuas.

Si cor tuum usque huc ascendere potuit, DEVM tuum infra quomodo collocabit? Ipse sibi forma, ipse sibi essentia est. In hoc interim gradu suspicio illum: & si alter potior appareret, illum potiùs darem. Numquid verendum ne cogitatio transvolet illum? Quantumcumque in altum proficiat, ultra est. Infra quod homo cogitare possit, Altissimum quærere, ridiculum est; statuere, impium. Ultra, non citra quærendus est. Ascende, si adhuc potes, ad cor altius, & exaltabitur DEVS. Non est formatus DEVS, forma est. Non est affectus DEVS, affectio est. Non est compositus DEVS, merum simplex est. Et ut liquidò noveris quid simplex dicã, idem quod unum. Tam simplex DEVS, quàm unus est. Est autem unus, & quomodo aliud nihil. Si dici possit, DEVS unissimus est. Unus est sol, quòd non sit alter: una luna, quòd eque altera non sit. Atq; id quidē DEVS, sed plus.

Quid plus? Unus est etiam sibi. Et hoc vis tibi declarari? Idem est semper, & uno modo. Non sic unus sol, non sic una luna: clamat uterque non esse se unum sibi; ille motibus, illa & defectibus suis. DEVS autem non modò unus sibi, & in se unus est. Nihil in se nisi se habet. Non ex tempore alterationem habet, non in substantia alteritatem. Hinc de eo Boetius: Hoc verè unũ, in quo nullus est numerus. Nullum in eo aliud præter id, quod est. Neque enim subjectum fieri potest, forma enim est. Compara huic uni omne quod unum dici potest, & unum non erit. Trinitas est, tamen Deus. Quid ergo? Destruimus quod dictum est de unitate, quia inducimus trinitatem? Non, sed statuimus unitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum sanctum, non tamen tres Deos, sed unum. Quid sibi vult iste, ut sic loquar, absque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si unum, ubi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem, & quid non numerem. Substantia una est, Personæ tres sunt. Quid mirum, quid vel obscurum in hoc? Nihil, si Personæ seorsum à substantia cogitentur. Nunc verò cùm tres illæ Personæ illa substantia sint, & illa una substantia tres illæ Personæ, quis numerum neget? Nam verè tres sunt. Quis numeret tamen? nam verè unum sunt. Aut si tu facile explicatu id putas, dicendo tres dicito quid numeres istic? Naturas? Una est. Essentias? Una est. Substantias? Una est. Deitates? Una est. Non hæc, sed Personas numero, inquis. Quæ non sint illa una natura, illa una essentia, illa una substantia, illa una Divinitas? Catholicus es, minimè hoc dabis. Hactenus divus Bernardus.

CAPVT XIV.

De beatissima Trinitate, ejúsque proprietatibus; ex Richardo.

CIRCA Personarum autem trinitatem Trinitatisque speculationem Richardus *lib.* 4. *de contemplatione cap.* 18. ita scribit: *Quàm multa firmiter creduntur, veraciter asseruntur, quæ tamen non solùm supra rationem, sed etiam contra rationem esse videntur. Credimus unum DEVM, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Patrem à nullo, Filium à Patre solo, Spiritum sanctum à Patre & Filio. Filium nascendo, Spiritum sanctum procedendo. Credimus itaque unum, eumdemq; in Personis trinum, & in substantia unum. Vnde alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Nec tamen aliud est Pater quàm Filius, nec aliud est Pater vel Filius, quàm amborum Spiritus. Nam alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti; cùm sit omnibus una substantia, eadem essentia, & sola natura. Hæc omnia credimus: hæc omnia profitemur, & constat veraciter esse: & tamen in his omnibus (si juxta humanam æstimationem pensentur) videtur humana ratio fortiter repugnare.*

Si Pater est ingenitus, Filius unigenitus, eritne substantia Patris ingenita, Filij genita? Et cùm utriusque sit una eadémque substantia, eritne eadem ipsa genita & ingenita, hoc est genita & non genita? Numquid eadem ipsa gignit seipsam, & gignitur à seipsa? Numquid ergo eadem ipsa gignitur & non gignitur, nascitur & non nascitur? si Filium nasci dicimus, quid de ejus nativitate dicemus? Numquid ejus nativitas æterna non erit, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio? Si ejus nativitas aliquando non fuit, quomodo Patri coæternus vel coæqualis? Et si aliquando non erit, quomodo illa natura incommutabilis erit, in qua aliquid transit? Si semper fuit, quomodo ab alio esse accepit, qui numquam esse incæpit, sine quo Pater numquam esse potuit? Et quomodo ejus nativitas perfecta est, si adhuc futura est? An fortè iteratur semper, ut possit esse semper? Numquid ergo jam non una sed multiplex & infinita erit quam in infinitum iterare oportebit.

Quidquid verò de Filij nativitate diximus, vide ne fortè & circa Spiritus sancti processionem eadem ratiocinatione quærere possimus. Ecce & ista, si juxta humanã æstimationem pensentur, humanæ rationi repugnare videntur. Si Spiritus sanctus cũ Patre ejusdem potentiæ est, numquid & ipse potest quidquid & Pater potest? Numquid ergo talem Filium, qualem Pater gignere potest? An fortè filium gignere potentia non est; & talem filium, qui omnipotens est? An fortè non vult cùm possit? Quomodo ergo eamdem cum Patre voluntatis similitudinem, similitudinis quoq; plenitudinem possidebit? Multa in hunc modum, & pœnè innumera circa Personarum trinitatem invenies, quæ humanæ rationi non solùm incomprehensibilia, sed etiam dissona reperies.

Multa inquam ejusmodi invenies circa Personarum trinitatem, multa ejusmodi in Verbi incarnatione circa substantiarum unionem. Quid, quæso, est, in quo humanitas & Divinitas unitæ sunt, ut una persona esse possint? Numquid aliquid quod hominis est, vel aliquid quod DEI est: vel aliquid quod utriusque est? Sed si utriusque non est, quomodo in eo uniri possunt, quod ab alterutro alienum est? Si aliquid quod hominis est, ergo creatura est. Si aliquid quod Dei est, supra creaturam est, & jam creatura non est. Si aliquid quod DEI & hominis est, numquid ipsum utrumque erit, & utrumque non erit? creatura scilicet, & non creatura? Sed quæstio ista valdè est intima, & hucusque, quantum arbitror, non mota, & idcircò fortassis rectius supprimenda.

Sed de anima Christi quid dicimus, quam omnem gratiæ plenitudinem accepisse negare non audemus? Nam quidquid Pater habet ex natura, ipsa accepit ex gratia: nam in ipsa habitat omnis plenitudo corporaliter. Si accepit omnem plenitudinem gratiæ, ergo & plenitudinem sapientiæ, ergo & plenitudinem potentiæ. Si ergo æqualem sapientiam, æqualem potentiam habet cum Patre (quod negari non potest;) numquid Patri æqualis erit, & creatura Creatori coæquari poterit? quod omnino fatendum non est. Sed si æqualem sapientiam, æqualem potentiam absque dubitatione habet, quomodo ei omnino coæquari non valet?

Sed quid hoc de anima Christi dicimus, quando circa corpus ejus, juxta Fidei assertionem, multa credimus atque tenemus, quæ humana ratio impugnat & impossibilia judicat? Quando Corpus suum Christus discipulis suis distribuebat, numquid seipsum suis manibus portabat? Numquid idem ipse erat qui portabat & portabatur, idem ipse qui dabat, & qui dabatur? Quando à discipulis sumebatur, dentibus q; terebatur, numquid lædebatur? An fortè in eo quod dabatur impassibilis erat, sicut & invisibilis erat, quamvis secundùm id quod dabat, sicut visibilis sic & passibilis erat? Numquid ergo unum idemque corpus uno eodemq; tempore erat visibile & invisibile, passibile & impassibile? Et vide hoc quàm sit incomprehensibile, & videatur esse impossibile.

Vide quàm multis in locis idem Christi Corpus quotidie consecratur & habetur. Numquid ergo per partes dividitur, ut in tam multis locis habeatur? Quomodo ergo ipsum erit verè impassibile & verè incorruptibile? An verò cùm sit per tot loca dispersum, ubique manet integrum & incorruptum, & omnino indivisum? Si igitur attendas in quàm multis locis sit, in quàm multis locis per eandem sanctificationis virtutem esse possit; quo te, quæso, tua ducet cogitatio, nisi ut unum idemq; corpus videatur tibi in infinitis locis esse posse, & hoc sub tempore uno? Sed vide ipsum quàm sit non solum contra proprietatem corporum, verùm etiam supra omnem proprietatem spirituum.

Si igitur tam incomprehensibilia sunt, tam incredibilia videntur, quæ de Corpore Christi veraciter creduntur, quanto magis illa, quæ circa animam Christi considerantur, omnem humanam rationem longe excellentiùs supergrediuntur? Incomparabiliter tamen sublimiora sunt quæ circa Personarum trinitatem consideranda occurrunt. Ejusmodi itaque omnia quæ videntur humanæ ratiocinationis angustias non solùm excedere sed insatuare, rectè quidem accipiuntur ad secundum Cherubim pertinere.

Rectè itaque dictum est, quòd ea, quæ maximè considerantur circa divinæ substantiæ unitatem, pertinent ad Cherubim primum; quæ verò considerantur circa Personarum trinitatem, maximè spectant ad Cherubim secundum. Ad quintum itaque genus contemplationis pertinet consideratio prior: ad sextum verò, & ipsum ultimum, consideratio posterior. Hactenus Richardus.

CAPVT XV.

De summæ & divinæ Trinitatis mutua dilectione: ex Hugone.

HUGO *Tomo 3. lib. 7. cap. 23. Sed quia tres,* inquit, *Personas in Deitate una credimus, superest ut quod de qualibet harum dicitur, utrùmne etiam de aliis dici possit inquiratur. Dictum est autem, quòd Pater amat Filium; restat ergo, ut consideremus, an pari modo dici possit, quòd Amor Patris & Filij amet Filium, quòd Filius amet seipsum: item quòd Pater amet se, quòd Filius amet Patrem, quòd Amor Patris & Filij amet Patrem: item quòd Amor Patris & Filij amet se, quòd Pater amet Amorem suum & Filij, quòd Filius amet Amorem suum & Patris: postremò utrùm quòd unus & idem amor est quo quisque amat seipsum, vel ad invicem quisque alium. Sed hæc facilius inveniemus, si ea quæ jam dicta sunt ad memoriam revocemus.*

In supradictis enim rationibus asserimus, quòd DEVS prima causa est & origo bonorum omnium. Is autem, qui fons est & principium omnium, excellentius bonum nullũ esse potest: summum igitur bonũ DEVS est. Beatitudo autem nusquam rectius quàm in summo bono collocatur: DEVS igitur sol⁹, & propriè & principaliter beatus est. Beatus autem quomodo esse potest, cui id ipsum non placet quod est? Quisquis igitur beatus est, & seipsum diligit, & id quod ipse est diligit. Si igitur Pater & Filius, & Amor Patris & Filij unum sunt, & unus DEVS sunt, cùm in solo DEO vera beatitudo sit, necesse est, ut & quisque amet seipsum, & ad invicem quisque alterum. Neque beatitudo veraciter dici posset, immò potiùs summa infelicitas foret, si per contrariam voluntatem se dividerent, & per eamdem naturam ab invicem separari non possent. Sicut igitur naturâ unum sunt Pater & Filius, & Amor Patris & Filij, ita quoque voluntate & amore unum non esse non possunt. Vno amore se diligunt, quia unum sunt; nec aliud est quod quisque amat in altero, quàm quod quisq; amat in seipso; quia non aliunde est quod quisque est, quàm quod alter est. Quod Pater diligit in Filio, hoc idem Filius diligit in seipso; & quod amor Patris & Filij diligit in Filio, hoc idem Filius diligit in seipso. Item quod Filius diligit in Patre, hoc Pater diligit in se; & quod Amor Patris & Filij diligit in Patre, hoc Pater diligit in se. Item quod Pater & Filius diligunt in Amore suo, hoc Amor Patris & Filij diligit in seipso. Item quod Pater diligit in seipso, hoc diligit in Filio & in Amore suo. Et quod Filius diligit in seipso, hoc diligit in Patre & in Amore suo. Et quod Amor Patris & Filij diligit in se, hoc diligit in Filio & in Patre. Hæc Hugo Victorinus.

CA-